



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 261. Vtrùm Adam ante peccatum habuerit perfectam libertatem, qua nos post peccatum caremus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

res, vt probatum est num. 9. & 10.

15 Ad 3. iam num. 11. explicatum est in quo consisteret iniustitia originalis.

QVÆSTIO CCLXI.

Vtrum Adam ante peccatum habuerit perfectam libertatem, qua nos post peccatum caremus?

1 **V**idetur Adam ante peccatum non habuisse perfectam libertatem, qua nos post peccatum caremus. Eatenus enim Adam habuit perfectam libertatem, quatenus habuit potentiam proximè indifferentem ad eligendum bonum, vel malum: sed etiam nos post peccatum habemus potentiam proximè indifferentem ad eligendum bonum, vel malum, ideoque nobis in natura lapsa existentibus dicitur Ecclesi. 15. *Apposui tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, extende manum tuam: ergo &c.*

2 Respondeo: certum est primo Adamum creatum fuisse cum libero arbitrio. Ideo S. Augustinus in Enchirid. cap. 25. loquens de Adamo ante peccatum dicit: *Sic cum munerans libero arbitrio, vt regeret imperio, terreret exitio.* Idem vt indubitatum supponit Concilium Arausicanum can. 7. 8. 13. 25.

3 Certum est secundo Adamum ante peccatum non habuisse liberum arbitrium determinatum ad bonum, adeoque impeccabile, sed habuisse liberum arbitrium peccabile, ac indifferentem ad bonum, & malum, cum de facto peccauerit. Possumus ergo distinguere tres status liberi arbitrij. Primus, in quo fuit Adam ante peccatum, & in quo fuerunt Angeli in statu viæ: secundus in quo sunt beati: tertius in quo sunt damnati. Adam, & Angeli in statu viæ ante peccatum habuerunt liberum arbitrium proximè peccabile, per quod proximè poterant eligere bonum, vel malum. Beati in statu termini habent liberum arbitriū proximè impeccabile, per quod possunt eligere inter bonum, & bonum, sed non possunt peccare, eligendo malum. Damnati in statu termini habent liberum arbitrium cum morali necessitate semper peccandi, vt dictum est quæst. 189. num. 25. Docet hoc S. Augustinus pluribus in locis. Lib. 22. de Ciuit. cap. 30. dicit. *Seruandi autem erant gradus diuini muneris, vt primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo, nouissimum, quo peccare non posset, atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret.* In Enchiridio cap. 105. Sic enim oportebat prius hominem fieri, vt bene velle posset, & male, nec gratis, si bene, nec impune, si male: postea verò sic erit, vt malè velle non possit: & paulo post: ordo prætermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale, quod etiam peccare possit, quamuis sit melius, quod peccare non possit.

4. Certum est tertio Adamum, & Ange-

los ante peccatum in statu viæ habuisse liberum arbitrium, quo proximè poterant eligere non solum bonum naturale, sed etiam supernaturale: siquidem ex dictis quæst. 258. habuerunt gratiam sanctificantem, & habitus infusos, quibus poterant elicere, ac de facto elicuerunt actus fidei, spei, charitatis super omnia &c.

5. Certum est quarto ex dictis quæst. 259. quod in Adamo ante peccatum per iustitiam originalem pars inferior erat perfectè subiecta superiori, & appetitus sensitivus rationi, ita vt nulla simplex inclinatio ad bonum sensibile, & intelligibile contrarium honesto præueniret deliberationem, & imperium rationis.

6. Hinc sequitur Adamum ante peccatum, & Angelos in statu viæ habuisse libertatem quamdam perfectam, qua nos caremus etiam cum sumus in statu gratiæ.

7. Probatur primo: nam libertas dicitur perfecta tripliciter: primo ex eo, quod non seruit peccato: secundo ex eo, quod est perfectè indifferens: tertio ex eo, quod sine difficultate potest se ad vtramlibet partem determinare: sed ex omnibus his tribus capitibus libertas Adami, & Angelorum fuit perfecta, libertas nostra est imperfecta: ergo. Probatur minor quoad singulas partes. Primo seruitus quædam peccati consistit in inclinationibus indeliberatis in bonum sensibile, vel intelligibile contrarium rationi, ideoque Apostolus sentiens in se has inclinationes, dicebat ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis contrariam legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, & infra: quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed ex dictis quæst. 259. Adam ante peccatum, & Angeli in statu viæ, nullas habebant inclinationes indeliberatas ad bonum sensibile, vel intelligibile contrarium rationi, nos autem etiam in statu gratiæ habemus tales inclinationes: ergo Adam habebat libertatem ab hac seruitute peccati, qua libertate nos caremus. Hanc libertatem à seruitute peccati, qua nos caremus, in Adamo fuisse, sæpe docet S. Augustinus, ac præsertim lib. 14. de Ciuit. cap. 11. dicens. *Arbitrium igitur voluntatis tunc est verè liberum, cum vitijs, peccatisque non seruit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Vnde veritas dicit Io: 8. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis: quæ Augustini verba Concilium Arausicanum redegit in canonem 13. & lib. de corrept. & gratia cap. 12. dicit. Illi ergo sine vlllo peccato data est, cum qua conditus est voluntas libera, & eam fecit seruire peccato: horum verò cum fuisset voluntas serua peccati, liberata est per illum, qui dixit Ioann. 8. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis.* Probatur iam secunda pars minoris. Ad perfectam enim indifferentiam requiritur, vt voluntas non sit inclinata ad malum, sed voluntas Adami, & Angelorū, cum careret inclinationibus indeliberatis ad bona contraria rationi, carebat omni inclinatione ad malum, voluntas nostra

nostra per tales inclinationes indeliberatas est inclinata ad malum : ergo voluntas Adami etiam ex hoc capite habebat libertatem perfectam indifferentiam, qua nos caremus. Ideo Ecclesiast. 7. dicitur. *Deus fecit hominem rectum*, hoc est sine vlla inclinatione ad malum. Per peccatum verò natura humana inclinata est ad malum, & ideo à Sanctis Patribus dicitur figurata per mulierem illam inclinaram, quæ non poterat sursum respicere, de qua agitur Luc. 13. 11.

8. Probatur tertia pars : nam difficultas se determinandi ad vnam partem oritur ex eo, quod per contrarias inclinationes inclinamur ad partes oppositas, adeoque in nobis sit pugna quadam contrariarum inclinationum : sed nos habemus contrarias inclinationes indeliberatas ad partes oppositas : nam ut dicitur ad Galat. 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem* ; Adam verò carebat istis inclinationibus, & hac pugna : ergo Adam habebat libertatem, qua poterat pro nutu, ac sine vlla difficultate se determinare ad vtramlibet partem, nos autem caremus tali libertate perfectæ facilitatis.

9. Probatur secundo auctoritate Pontifices, Concilia, ac Patres liberum arbitrium Adami ante peccatum vocant integrum, & sanum, liberum arbitrium post peccatum dicunt esse ægrotum, infirmum, & vulneratum : sed liberum arbitrium integrum, & sanum est perfectum, liberum arbitrium ægrotum, infirmum, & vulneratum est imperfectum : ergo &c. Probatur maior, afferendo loca Pontificum, Conciliorum, & Patrum. Ex Patribus Augustinus lib. de natura, & gratia, cap. 3. dicit : *Natura quippe hominis primitus inculpata, & sine vilo vitio creata est ; natura vero ista hominis, qua unusquisque ex Adam nascitur, iam medico indiget, quia sana non est : & eodem lib. cap. 41. Quis enim enim nescit sanum, & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad iussu viuendum potestate libera constitutum : sed nunc de illo agitur, quem seminiuum latrones reliquerunt, qui grauius sauciis, confossumque vulneribus &c. Sermone 3. de verbis Apostoli dicit. Magnas arbitrii liberi vires, cum conderetur accepit, sed peccando amisit. S. Prosper ad Capitula Gallorum resp. 8. loquens de perfecta libertate dicit. Dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccauimus. Auctor Hypognosticon, qui putatur discipulus Augustini lib. 1. cap. 3. dicit. Neminem posse per se sibi, id est per liberum arbitrium implere quod velit, rectè dicimus, nisi Protoplaston solum potuisse, cum voluntas liberi arbitrii fuisset sana eidem ante culpam : & cap. 4. Per peccatum ergo liberum arbitrium hominis possibilitatis bonum perdidit, non nomen, & rationem. Eodem lib. 3. cap. 8. Per inobedientiam primi hominis Diabolus humanum genus despoliauit, & vulnerauit morum scilicet ornamentis, & bono possibilitatis liberi arbitrii perditio : ergo docet per peccatum amissam perfectam li-*

bertatem : & eodem lib. 3. cap. 1. Hoc ergo vulnere cuncti libero claudicamus arbitrio, nec implere nobis naturaliter sufficit posse bonum, quia iam ut superius disputauimus de natura vitiosa peccato, id est de protoplastis hominibus, quorum sanus & ipsi natura, in quibus vitiosa est libertas, homo libertatis sana, perfectio scilicet libertatis arbitrio, quo sibi sufficiat, non potest exoriri. Ex Pontificibus Celestinus ad Episcopos Galliarum cap. 4. iubet dici, ac credi : *In preuicatione Ade omnes naturalem possibilitatem, & innocentiam perdidisse : & id ipsum confirmat auctoritate Innocentij Primi. Ex Concilij Arausicanum 2. can. 8. dicit esse dogma Semipelagianum, Non omnium liberum arbitrium esse per peccatum primi hominis infirmatum : can. 13. definit arbitrium voluntatis in primo homine esse infirmatum : can. 21. docet naturam per Adam esse perditam : can. 25. docet, quod secundum superscriptas Sacrarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante, & predicare debemus, & credere, quod per antiquorum Patrum definitiones per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium &c.*

10. Addo, quod ex doctrina S. Augustini perfectio, & sanitas liberi arbitrii in Adamo consistebat in eo, quod voluntati non resistebat concupiscentia : ægritudo, & infirmitas liberi arbitrii nostri consistit in eo, quod voluntati resistit concupiscentia. Ideo lib. de Corrupt. & Grat. cap. 12. dicit. *Tales vires habebat eius, hoc est Adami voluntas, quæ sine vilo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tante bonitati, & bene viuendi facilitati perseverandi. Committeretur arbitrium &c. Nunc verò postquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam maioribus donis adiuvanda remansit infirmitas. Idem docet S. Prosper lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 2. dicens. Non eo modo iam possumus peccato resistere, si cui ille potuit, cui nihil aliud fuit non peccare, quam nolle. Nobis autem irreprehensibiliter viuere velle non sufficit, nisi ipsum velle nostrum, quod languida possibilitate deficit, diuina virtus adiuvet : quia illud ad non peccandum etiam inuare poterat adhuc sana natura, nos iam impedit vitiosa ; & illam peccare fecit sola peccandi voluntas, nos etiam cogit plerumque peccati iam facta necessitas. Peccandi necessitatem vocat concupiscentiam ortam ex peccato, quæ bonis conatibus resistit.*

11. Inferitur, in quo consistat ægritudo, vulnus, & infirmitas liberi arbitrii, in quo eiusdem sanitas, & integritas. Vulnus est diuisio eorum, quæ debent esse vnita. In Adamo voluntas, & appetitus sensitivus erant vnita. Nam nihil appetebat appetitus, quod non vellet voluntas, sed erat perfectè subiectus voluntati. In nobis appetitus sensitivus est diuisus à voluntate, & ab illa rebellis, & sæpè voluntas vult bonum, appetitus sensitivus appetit malum ; ergo in Adamo liberum arbitrium erat sanum, & integrum, in nobis est ægrotum, & vulneratum. Est igitur in nobis, ut loquitur Augustinus lib. 8. confels. cap. 1. &

ex eo Prosper sententia 178. *Quædam ægrotudo animi, quia non totus assurgit, veritate subleuatus, consuetudine pregrauatus. Et ideo sunt duæ voluntates, quia una earum tota non est, & hoc adest alteri, quod deest alteri.*

12. Ad argumentum in contrarium. Adam ideo habuit perfectam libertatem, quia habuit potentiam ita proximè indifferentem ad eligendum bonum, vel malum, vt non seruiret peccato, nec per concupiscentiam esset inclinatus ad malum, ideoque posset sine vlla difficultate, & resistentia, & pugna interna contrariarum voluntatum se determinare ad vtramlibet partem: sed nos ita habemus potentiam proximè indifferentem, vt per motus indeliberatos appetitus sensitiui appetamus illicita, adeoque seruimus peccato, ac per concupiscentiam inclinamur ad malum, ac non possumus eligere bonum sine magna difficultate orta ex resistentia concupiscentiæ, & ex interna pugna contrariarum voluntatum; ergo Adam habuit libertatem perfectam, quam nos caremus, ac proinde in Adamo ante peccatum liberum arbitrium fuit sanum, & integrum, in nobis est ægrotum, vulneratum, & infirmum.

QVAESTIO CCLXII.

Virum Adam, & Angeli ad iustè viuendum, ac perseverandum in iustitia, & ad singulos actus bonos indiguerint gratia, & adiutorio Dei?

1. **V**identur non indiguisse, primo quia Augustinus, & alij Patres, & Concilium Arausicanum dicunt nos per peccatum Adæ perdidisse liberum arbitrium ad credendum, & diligendum Deum; sed non perdidimus liberum arbitrium ad credendum, & ad Deum diligendum per vires gratiæ: nam possumus cum Paulo dicere: omnia possum in eo, qui me confortat; ergo perdidimus liberum arbitrium ad credendum, ad diligendum Deum, & ad alios actus salutes exercendos per vires naturæ, ac proinde Adam habuit liberum arbitrium, quo per vires naturæ, & sine adiutorio gratiæ poterat credere, & Deum diligere, sicut oportet. Probatur maior, afferendo loca Augustini, & aliorum Patrum. S. Augustinus epist. 107. circa medium, dicit: liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. Fulgentius de Incarnat. & Grat. cap. 22. dicit. Hoc igitur in homine diuinitus agitur, cui fidem Deus infundit, vt gratiæ dono virtutem credendi natura recipiat, quam amisit. Prosper ad Capitula Gallorum resp. 8. Neque hæc dona ita ex Deo esse opinemur, vt quia ipse natura nostra auctor est, per conditionem iam hæc contulisse videatur: quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem, sed omnes iam in illo amisimus, in quo omnes peccauimus. Auctor Hypognosticon.

lib. 3. cap. 1. dicit. Neminem posse per se sibi, ideo per liberum arbitrium implere quod velit, rectè dicimus, nisi protoplaston solum potuisse, cum voluntas liberi arbitrii fuisset sana eidem ante culpam; Concilium Arausicanum can. 25. dicit, quod secundum antiquorum Patrum definitiones per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, vt nullus postea aut diligere Deum, sicut oportet, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est possit, nisi gratia eum, & misericordia diuina præueniat; ergo docet liberum arbitrium Adami ante peccatum ad Deum diligendum, sicut oportet, non fuisse gratia, & misericordia diuina præueniendum; sed si Adam non indiguit gratia Dei ad actum excellentissimum diligendi Deum, sicut oportet, non indiguit gratia Dei ad vltos actus bonos, & saluantes, ac meritorios vitæ æternæ; ergo. Addit eodem Canone, illam præclaræ antiquorum Patrum fidem, non per donum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei fuisse corlatam; ergo existimat Adamum habuisse fidem salutarem per bonum naturæ, adeoque per vires liberi arbitrii sine gratia, cum nos possumus illam habere solum per vires arbitrii cum gratia.

2. Secundo S. Augustinus lib. de Corrept. & Gratia cap. 10. dicit. Quapropter saluberrimè confitemur quod rectissime credimus, Deum, Dominumque rerum omnium &c. sic ordinasse Angelorum, atque hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset gratiæ beneficium, iustitiæque iudicium; sed si Angeli perseverassent in diuina dilectione per liberum arbitrium adiutum gratia, eodem modo in nobis, & in Angelis ostendisset, quid posset liberum arbitrium adiutum gratia, & quid posset gratia, cooperante libero arbitrio; ergo Angeli perseverarunt in iustitia, & dilectione Dei per liberum arbitrium sine gratia. Ideo lib. de dono perseverantiæ, cap. 7. dicit in eandem sententiam: Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparuit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt.

3. Tercio S. Augustinus lib. de Corrept. & Gratia, cap. 12. prope finem loquens de Adamo dicit: Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet: infirmis seruauit, vt ipso donante, inuictissime quod bonum est vellent, nec hoc deferere inuictissime nollent: Et paulo ante dicit, ideo Deum reliquisse perseverantiam libero arbitrio Adami, quia erat sanam, & integram, nec voluntati resistebat concupiscentia, dicens. Tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vilo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, vt dignè tanta bonitati, & benè viuendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium; sed Deus voluntati nostræ post peccatum fauciat, & infirmè committit arbitrium perseverandi cum gratia, & adiutorio Dei; ergo voluntati Adami sanæ, & integræ commisit arbitrium perseverandi per vires proprias, etiam sine gratia, & adiutorio Dei.

4. Re-